



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. Quibus casibus censura excommunicationis vel alia, sit injusta, & quibus sit invalida?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quirantur hæ tres monitiones, cum una sufficiat, prærequiruntur tamen illæ, aut una æquivalens tribus, ex juris præcepto, ut iustè feratur excommunicatio, nisi casus excepti sint, de quibus videndus Barbol: in cit. cap. sacro.

Si tamen excommunicatio, aut censura alia pro culpa futura, ab ipso canone, seu iure statuatur, ipso facto incurrenda, non est necessaria ulla admonitio, quam quæ à lege statuenta habetur, cap. reprehensibilis 26. de appellat: cum hæc perpetuò moneat, & satis contumax ac inobediens Ecclesiæ videatur, qui hanc monitionem negligit.

Neque debet ferri excommunicatio, quamvis monitio competens præcesserit: sine manifesta, & rationabili causâ, quæ coram iudice ferente probata fuit, ita ut appellare etiam possit, qui sine rationabili causa excommunicatus est, & nisi errorem suum corrigere velit, qui excommunicavit, possit ac debeat superior, vel illum remittere ad excommunicatorem injustum, cum mandato de eo absolvendo, vel possit ipse per se vel per alium absolvere talem sufficienti cautione receptâ, quod iuri sit pariturus, prout pluribus videre est in cit. cap. sacro §. caveat.

§. IV.

Quibus casibus censura excommunicationis vel alia, sit injusta, & quibus sit invalida?

Excommunicatio, vel etiam alia censura illicita quidem, & injusta sæpius potest esse, si ex odio vel aliâ sinistra intentione feratur, si ordo accidentalis in processu non observetur, si legi-

Compend. Pirhing.

tima forma non adhibeatur &c. valida tamen est ( nisi in iudice deficiat iurisdic-tio, aut defectus substantialis committatur, in judiciali processu, vel quòd de crimine legitime convictus non sit reus, vel quòd nullum crimen commiserit, quamvis iuridicè crimen de illo probatum sit ) ita ut in foro conscientie non quidem liget, liget tamen in foro externo, & in hoc foro absolutio ab eâ, si de ea latâ publicè constet, petenda sit, & accipienda, ad vitanda scilicet scandala, quæ ex contratio casu facillè sequi possent.

§. V.

An & qualis ignorantia, & quis metus excuset ab excommunicatione, vel alia censura?

Ignorantia facti sub excommunicatione, aut alia censura prohibiti, si excuset à culpa mortali, excusat etiam à censurâ incurrenda cap. si verò 4. h. r. tum quòd ubi culpa non est, pœna locum non habeat, tum quòd censura sit medicinalis pœna, quæ scientiam supponit: si tamen sit juris ignorantia ( quòd jus prohibet aliquid sub censura incurrendæ minis ) quamvis sciat aliquis, factum tale iure naturæ, aut divino prohibitum esse, si inculpabiliter tamen ignoret, de iure Ecclesiastico, sub pœna excommunicationis, aut alterius censuræ, prohibitum tale quid esse, vel si sciat quidem ab Ecclesia prohibitum hoc esse, nesciat tamen inculpabiliter, quòd prohibitum sit illud sub pœna excommunicationis, aut censuræ, ita ut invincibiliter ignoret pœnam ta-

Nnn nn

lem